

captivitate Babylonica cap. de Eucharistia : Non alia via, inquit, potest homo cum DEO convenire : aut agere quam per fidem : opera ille nihil curat. Ibidem ; tam dives est Christianus, ut non possit perire, etiamsi velit, quantumcunque male vivat, nisi nolit credere : Etsi autem Calvinus, Brentius & alii quidam conantur, nonnihil temperare hanc sententiam, dum dicunt, opera bona esse necessaria, tanquam effectus fidei ; tamen haerent adhuc in eodem errore : nam etiam posita ista necessitate docent, opera non mereri ullo modo vitam aeternam, etiamsi DEUS ea requirat, tanquam testimonia fidei. Haec autem erat impiissima haeresis Simonis ; l. c. Ita Autores Apolog. Specul. Brandenb. Wenn wir sagen / ihr seyd Simonianer wegen eures Solen-Glaubens (ita ludunt profani in re tam ardua) und Ausschliessung der Wercke von der Seeligkeit : warum ? weil der Solen-Glaube eine solche Lehre ist / die wider Gottes Wort läuffet / von H. Vätern als Ketzeren erkennet / und von ihnen an Simone Mago in öffentlichen Schrifften gestraffet und widerleget / ja endlich von der allgemeinen Kirche Christi verdammet. Append. p. 441.

§. XVIII.

Qualis vero nexus est vel ipsis iudicibus, qui doctrinae nostrae favere nolunt, inter nos atque Simonianos ? Simoniani per gratiam Simonis atque Selenes, & non per opera bona cupiebant salvari : Evangelici non per opera bona, sed per gratiam DEI & meritum Christi salutem consequi volunt, adeoque omnium hominum, quicumque etiam sint, merita excludunt : Igitur Evangelici sunt Simonis Magi affectae ! Immitis sane atque injusta satis, & inepta sententia. Simonianorum dogma, & recte quidem, damnatum est ab antiqua ecclesia, quoniam a Christo ad homines ablegat
pec-